



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema VII. Cur Domini proniores ad irascendum, quàm Servi. Dominica
V. Post Pentecosten. Qui irascitur fratrisuo, reus erit. Matth. 5. v. 22.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA VII.

Cur Domini proniores ad irascendum,
quàm Servi.

DOMINICA V. POST PENTE- COSTEN.

Qui irascitur fratri suo, reus erit.

Matth. 5. v. 22.

§. I.
Utrum
Domino
semper li-
citur ira-
sci.



Vi irascitur fratri, re-
us esto. at nunquid
etiam reus, qui ira-
scitur famulo? si ira
non fuerit, nec do-
rina proficit, ne-

que iudicata stant, neque crimina
compescuntur, inquit Chryso-
stomus. Magis necessaria Domino
ira est, quàm gladius, cuius jus cum
à DEO, teste Paulo, acceperit, jus pa-
riter irascendi accepisse censendus
est, adeoque reus minimè futurus, si
famulo irascatur. ità hodie ratioci-
nantur Domini, sèque Davidis ver-
bo exemplo tuentur, quem sæpe-
numero in iras erupisse, testibus sa-
cris paginis, acceperunt, totiesque
occini illud audiunt: *irascimini &
nolite peccare*, quorum sensum ver-
borum hanc esse ajunt: date locum
iræ, & nolite putare peccatum
committi, si efferveat herus in fa-
mulum, ira enim, teste Basilio, *est
virtutis*, custos virtutis, prærogati-
va est Dominationis. Verùm mi-
tius ista ò boni! non omnis quidem
ira peccatum est, rarò tamen Domi-
norum in servos ira peccatum non
est, quia non vitiis famulorum, quos
fratrum in numero haberi oportet,
irascuntur, omnes vos, Domini

æquè ac famuli, ut Princeps Regum
terræ edixit, omnes vos fratres es-
tis Matth. 23. v. 8. at at cur tanto-
pere proni ad iram sunt Domini?
rationem reddam triplicem, at-
tendite.

Servitus civili æquiparatur
morti, quam necessariò ante ocu-
los habere coguntur famuli, ideò-
que minùs ad iracundiam propen-
dent. Domini verò cum nihil hor-
reant magis, quàm de morte cogita-
tionem, juxta illud decantatissi-
mum: *ò mors quàm amara est memo-
ria tui homini pacem habenti* Eccli. 41.
v. 1. idcirco faciliùs iræ indulgent.
Quid ser-vo irascaris, exclamat Sene-
ca. 3. de ira c. ult. sustine paulu-
lùm; venit ecce mors, quæ nos pa-
res faciat. Apes cum inter se con-
tendunt, & motu aliquo vehemen-
ti concitantur, jactu pulveris com-
ponuntur. Si Domini ad iram pro-
ni pulvere mortis se conspergerent,
quàm citò à furore liberarentur.
CAROLUS V. tumbam secum cir-
cumvexit, ut perennem mortis ale-
ret memoriam, ex qua tantam hau-
sit clementiam, ut sæpè indignaren-
tur optimi quique CAROLO, quòd
justo mansuetior esset, & indignos
toleraret & beneficiis devinceret.

§. 2.
Causa pri-
ma minùs
memores
mortis
sunt.

S. Basil.
Serm. de
ira.

E 3

At

At prudentissimus Imperator illud solenne verbum suum repetere amabat: *Equâ charitate nos habemus tulit Pater cœlestis? quid in morte expectabimus à Patre æterno solatii, si tam parùm clementiam ejus æmulemur?* Mortem recogitent patres familias, & mortem sibi non accelerabunt, in morte angores non coacervabunt, judicium divinum non reformidabunt. nam omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio. Componit mors uno in tumulto Dominum & servum, agonistam & antagonistam, componeret & vivos, si præ oculis haberetur. Narrat Gerardus de Rov. in histor. Austri. lib. 2. Adolphum ex Comite à Nassau Romanum Imperatorem omnibus ingratum & exosum, ideoque imperio exauthoratum, & in ejus locum ab Electoribus Albertum Austriacum Rudolphi Habsburgici filium susceptum fuisse. Non tulit ignominiam Adolphus, sed viribus exercitis omnibus exercitum grandem conflavit, conflictum Alberto indixit, ingenti cum furia hostem invasit, sed in prælio Adolphus ab Alberto manu propria interemptus cecidit, & victor Austriacus pacificè tenuit imperium. Miro autem factum est casu, ut postquam annis multis regnasset, occisus denique Albertus à quatuor juratis Basileæ & propè Adolphum sepultus sit, ita ut cadavera vix palmo à se distarent. Ecce qui in vivis convenire non poterant, à morte quàm leniter se comportant! ò quàm multi non tantum Domini inter se, sed famuli cum Dominis, lupi cum ovibus, ursi cum pardis convenirent, si mortem præ oculis haberent. inlixivio pellionis omnes conveniemus dicebat agnus lupo, ut est in fabula, & evasit mortem; multi non furerent lupis ferocius, & sub agnina pelle lupum in pectore non

alerent, si mortem cogitarent. Si in eandem foveam ursus & lupo prolatur, non consumunt sese invicem propter mortis timorem, ita & multi Domini pacificè cum famulis convenirent, si sepulchri foveam & mortis, quam sibi accelerant, amaritudinem præ oculis haberent.

Sicut Vermis in pomo oritur, & pomum consumit, sic ira in corde oritur & cor consumit. sicut apes cum infixere aculeum moriuntur, plagula verò modico illita luto perfanatur, ita iracundi cum effudere iram, pudore dein & mœrore sese conficiunt. Viperæ iram comparat Philo: *cogitationes iratipartus sunt viperarum*; furor illis secundum similitudinem serpentis ait Psaltes Pf. 56. ira in prægnante occidit foetum, in omni iracundo animam interimit, multoque plus sibi officit, quàm cui iratus est. Ludovicus Severus Dux Baviaræ præventus irâ & suspitione malignâ, occidit conjugem suam Mariam Brabantinam Donavverdæ commorantem, at sedatâ postmodum irâ tanto est obrutus mœrore, ut intrâ unius noctis spatium totus incanuerit, itaque ex juvene viginti septem annorum, senecio septuagenarius die postera apparuerit, nimirum *ira interficit stultum* Job. 5.

Altera ratio cur Domini præ famulis citius & gravius efferveant, est magni morum Magistri Senecæ qui lib. 3. de ira c. 11. curiositati & debilitati Dominorum causam iræ adscribit, curiosiores enim Dominos quàm famulos esse quis ignorat? unde sic monet: *non vis esse iracundus? nè sis curiosus.* Teneioris quoque complexionis esse Dominos certum est, idcirco & facilius indignantur, ut idem demonstrat lib. 2. c. 34. *imbecilla se lædiputant, si tanguntur; pusilli hominis* &

§. 3.
ira mortē
accelerat.

§. 4.
Secunda
causa quia
famuli
fortiores
sunt Do-
minis.

mi-

miseri est repetere mordentem ut mures & formicæ, ad quas si manum admo-veris, ora convertunt. Videmus certè debiliores naturâ semper esse iracundiores. cur feminæ citiùs irascuntur quàm viri? quia debilio-ris naturæ sunt. Cur senes citiùs effervescunt quàm juvenes? cur ægri faciliùs irritantur quàm sani? cur parvuli citiùs commoventur, quàm adulti? cur in rebus adversis citiùs indignamur, quàm secundis? debilitas naturæ est in causa, debilio-ores itaque cùm sint Domini quàm famuli, idcirco & prouiores ad ira-scendum. neque enim iracundia generositatis est indicium, sed igna-viæ, sed mollitiæ, sed infirmitatis; sicut timor accidit ex magna imbecillitate in carne (Plutarchum refero) ita in mollissimis animis, si quis se præbeat dolori, hoc ipso quò major est imbecillitas, eò majorem efficit iracundiam; & hac de causa mulieres iracundiores sunt viris, æ-groti sanis, senes ætate vegetis & fe-licibus infelices, ita Plutarchus, Se-neca verò: *ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minu-torum canum securus exaudit.* Ob-tulerat Alexandro Magno Rex Al-baniæ duos molossos, quorum al-ter oblatos urfos & apros ita spre-vit, ut ignavo similis jaceret, quem idcirco occidi iussit Alexander. at qui donum obtulerant legati monu-ère Regem, non ignaviam sed ge-nerositatem in causa fuisse, cur mo-lossus prædam exilem dedignatus sit, impetrâruntque ut supersti-ti molosso objiceretur leo, quem absque mora interemit, mox viso elephanto mirabiliter exultavit, bel-luamque astu primùm fatigans, cum summo deinde spectatorum horrore in terram applausit. A canibus discamus animi magnitu-dinem, nec simus tanquam timidi catelli, aut quod Democritus mo-

nuit, non simus sicut fœtæ canes, quæ cæcos pariunt catulos, ita namque iracundia cæcas parit cri-minationes. Non est herilis animi, sed plusquam servilis cedere ad quemvis iræ impetum & levimox verbulo ad serpentinum sibilum, taurinum mugitum, rugitumque leoninum commoveri. Irato cui-piam Domino, & præ iracundia fa-mulum suum flagellanti acutè dixit Democritus: *desine te ser-vo tuo si-milem ostendere, ser-vus enim est, qui suis cupiditatibus imperare non po-test.* hoc enim verò regium & augu-stum est, sibimetipsi imperare, & ex-urgentis iracundiæ compescere motus. Aureliano Imperatori fuit tessera: *quò major eò placabilior.* ac-cidit autem, cùm Thyanam urbem in Bithinia Aurelianus obsideret, ut pertinaciâ civium commotus asse-deret, se nec caniquidem in ea parfurum, tandem per proditionem acceptâ urbe non nisi unicum proditorem Heraclemonem passus est occidi. urgentibus autem spe prædæ militibus verbis staret suis. agite, inquit, & canes omnes occidi-te, negavi enim canem me relictu-rum. digna Aureliano vox, digna Imperatore tessera: *quò major, eò placabilior.*

Ponamus iram bestiam quandam esse monet sanctus Chrysofostomus homil. 5. in Matth. contra hanc pug-nemus sicut David cum leone & urso pugnavit, & apprehenso men-to suffocavit. Si gloriosum Lyfi-macho juveni fuit leonem, cui ab Alexandro Magno objectus fuerat, insertâ in fauces dexterâ pallio in-volutâ, lingvâque belluæ evulsâ ex-animâsse, longè nobis gloriosius e-rit, domesticam belluam, iram in-quam exarmâsse, si Constantino Magno adhuc adolescenti ob inter-emptum in amphitheatro leonem Senatus populusque Romanus ap-plau-

S. 5.
Contra irâ
pugnan-
dum tan-
quam con-
tra bellu-
am.

Plutarch.
lib. de co-
hib. ira.

plausit, & imperii habenas bene precatus est, quāto spectabilius de triumphata ira cœleste nobis theatrum applaudet, & coronam æterni imperii gratulabitur. Si mortale nomen Henricus Comes Holfatiæ cognomento ferreus promeruit, quōd leonem cum rugitu ferocissimo sibi obvium generosâ hac voce fregerit: *quiesce canis ferox quiesce!* manūque apprehensum leonem in caveam reduxerit spectante & stupente Anglorum sub Eduardo 3. aulâ, quāto admirabilius univēsa Angelorum curia jubilabit, si ferocientem compresserimus iracundiam?

Nieremb.
histor. nat.
tur. lib. 1.
c. 11.

At verò vehementissimè veror, nē leones quāto plurimi plerisque nos agant in triumphum & adversario nostro, qui tanquam le rugiens circumit, in spoliū concedant. Fuit Leo Barcinone, qui ut corrigeret iram, tanto animo se compressit, ut subitō exanimaretur. ò pudor noster! cū æstiment feræ virtutem pretio vitæ. Vidit Lanuza leonem ita instructum & circumcuratum, ut nullum daret impatientiæ signum, quem si allatrarent & invaderent canes, nec oculos contorquebat. Cicurantur ita alii, ut & currum trahant Antonii & herile latus stipent, sicut Joannis Austriaci ex Africa reducis leo, & Maximiliani Ducis & Electoris Bavariæ latus leo stipavit. Testi Æliano lib. 17. si credimus, in India leones venatum, canum more, ducuntur. primus Hanno Carthaginensis leonem habuit vasa portantem, Berenice leonem habuit lingentem vultus & rugas lævigantem & lentè ac modestè convivantem, sed jam de leonibus satis, quos nisi frenando iram imitemur, vel saltē leunculusimus, magni Salomonis nostri thronum nequaquam stipabimus.

S. 6.

Denique cur facilius Domini

quāto servi indignentur, causa potissima est, quia majorem Dominum non timent, quem toties ad iram provocant, quoties citra justam causam, vel ultrā modum fervis suis indignantur. Jeremias edicere justus quidnam vidisset, *ollam bullientem* à se conspectam testatur. rursum alteram visionem prodere monitus, *vigilantem virgam* ait se vidisse, auditque dicentem DEum: *bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud.* bullientem ollam sequitur Virga, quia iracundiam humanam sequitur pœna divina. Vigilabit DEus super verbo suo, quod hodie protulit: *Omnis qui irascitur reus erit.* Leonem agit Deus & dormit tantisper: *Catulus leonis Juda quis suscitabit eum?* Genes. 49. quisquis suscitare tentarit, impunè non feret. Leonem expertus est Dominum suum servus ille decem millium debitor, qui Conservum ob centum denariorum debitum non solutum strangulare & in Carcerem mittere ausus, vicissim traditus est tortoribus, quos Divus Hieronymus ait fuisse dæmones, horum enim servituti & equuleis sese subjicit, qui iræ suæ non dominatur. Saulem aspicio iratum, proh quale monstrum! non Regem sed servum, & quidem dæmonis mancipium: *invasit autem Spiritus DEi malus Saul.* 1. Reg. 18. ingressam in Saulis cor iracundiam sequitur è vestigio spiritus malus. exclamet Nazianzenus: *ò fervor ira demonis domus horridi!* in iratum velut in domum suam intrandi jus sibi fāsque ducit horridus dæmon. quapropter ab iracundia dehortatus Ephesios Apostolus, postquam dixisset: *Sol non occidat super iracundiam vestram,* mox subjungit: *nolite dare locum diabolo,* huic enim locum dat, qui prodromam & hospitii apparatricem admittit

Tertia
causa cur
famuli præ
Dominis
minus e-
rumpant
in iras ti-
mor est.

Jerem. 1.
v. 11. & 12.

Matth. 18.

Sanctus
Gregorius
Nazianze-
nus carm.
de ira.

Eph. 4.

mittit iracundiam. De Saule ob-
fervat Divus Petrus Damianus lib.
4. epist. 17. in Saulis cor ira præces-
sit, & mox nequitia spiritum introdu-
xit, qui abreptitium suum, in Zelum
vesani furoris accendit. fremebat
enim in vasculo suo auctor iracundia
Spiritus. Timeat proinde irasci,
qui timet à dæmone possideri. nec
unus duntaxat dæmon ingreditur
in animum, sed legio integra, sicut
enim in iudicio Romano rei ab inte-
gra vapulabant legione, ità in iudi-
cio divino iratus (qui enim irascitur,
reus erit iudicio) integra dæmo-
num legioni traditur excarnifican-
dus. Legimus Luc. 8. energume-
num quandam ab integra dæmo-
num legione tortum fuisse, quos
Salvator ex homine ejectos in gre-
gem porcorum ire permisit, quâ fa-
ctâ potestate in grunnientem ocy-
ûs transiêre gregem, eumque in ma-
re egêre præcipitem: *Impetu a-
biit grex per præcep in stagnum &
suffocatus est.* Luc. 8. v. 33. egregius
hic iracundorum typus est, ut eun-
dem exponit Doctissimus Didacus
Baëza, abripiuntur enim sicut grex
grunniens, inque perditionis pro-
fundum deferuntur suffocandi. non
homo est, qui à tali tortorum im-
manissimorum supplicio sibi non
cavet, quisquis enim aliquem ho-
minis sensum adhuc retinet, nihil
magis studet, quàm tantum à se ma-
lum depellere.

Estote homines exclamat Ori-
genes homil. 3. in illud Ezechiel. 14.
homo homo de domo Israel, estote
homines, homines scilicet, quia non o-
mnes homines, homines sunt. homo in
honore positus non intellexit, compa-
ratus est jumentis insipientibus, & as-
similatus est eis; iste non est homo
homo, sed homo jumentum. Genera-
tio viperarum, quis ostendit vobis
fugere à ventura ira? talis non est
homo homo, sed serpens homo. absit

ergò à nobis, ut tales simus, qui mere-
amur audire non esse homines homi-
nes, si enim boni & mansueti simus,
duplicamus hominis nomen, ut sit in
nobis non simpliciter homo, sed homo
homo. hoc nimirum facit mansue-
tudo, ut homo sit homo, iracundia
enim non in unam, sed multipli-
cem feram homines transformat.
Irautorum genium Vivacissimè ex-
pressit Divus Basilius hom. de ira.
*hæc hominem prorsus efferat, ac nè ho-
minem quidem esse sinit, ut qui jam ra-
tionis præsidio careat nam quod ve-
nenatis animantibus venenum est, hoc
irâ percitis est excandescencia. Ra-
bie laborant ut canes, subsultant ut
scorpii, mordent ut serpentes. si ali-
quem præ iracundia dentes acuentem
videris, illud cogita, eum apro similem
esse, ut qui per dentium confectum, in-
ternum furorem ostendat. Apro ira-
cundum Camerarius quoque con-
fert & in emblemate in truncum
arboris sævientem proponit cum
lemmate: facti fortasse pigebit.*

Camerar.
Cent. 2.
emblem.
47.

*In truncum furibundus aper dese-
vit inermem,*

*Ira ultrix quoties in sua damna
ruit!*

Quæ damna si ob oculos sibi
statuerent Magnates, nihil iis post-
hac clementius, nihil tractabilius,
nihil foret mansuetius. non timent
irasci, quia iram non timent Omni-
potentis: *iratae sunt gentes & adve-
nit ira tua* Ap. II. v. 1. iram ira su-
scitat, humana divinam. *sepe rixam
solvit conclamatum in vicino incen-
dium, & interventus fera latronem
viatorémque diducit.* colluctari cum
minoribus malis non vacat, ubi metus
major apparuit ait Seneca citatus.
solveretur in plerisque aulis rixa,
furor, vindicta, si malum gravius,
quod ob iras & diras nostras apud
justitiæ tribunal incurrimus, expen-
deremus. *Omnis qui plusquam
belluinè irascitur, reus erit in hora*

§. 8.
Ita homi-
nis provo-
cat iram
Nominis.

F

mor-

mortis, *judicio*; reus erit in novissima die *Concilio*, reus erit per omnem aeternitatem *gehennae*.

§. 9.
Emblema.

Pro Emblemate sit geniolus Furoris ater & audax, qui in diversos suppositos fomites, alterum delicatum & siccum, alterum grossum & humidum scintillas ex chalybe & silice excutit effectu dispari, facile enim fomes delicatus, difficilius verò scintillam grossus concipit; lemma: *in vitio fomes*. Vis cur citius furoris ignem concipiant foventque heri & heræ, quàm famuli & famulæ? fomes in culpa est, quem perversa herorum natura fo-

vet, ut licere sibi putent quicquid libet; irasci, fremere, sævire generosum reputant, quasi hoc sit illustrem & nobilem esse, si naturam spirent igneam, si scintillent, fulgurent, fulminent, cum ex his ipsis ignibus Vulcaniam prodant indolem, & Natales suos oriri demonstrant ex camino Mulciberi, & Luciferi regione.



PROBLEMA VIII.

Cur ex septem Panibus superfuerint septem Sportæ, ex quinque verò Panibus Cophini duodecim.?

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem Sportas Marc. 8. v. 8.

§. I.
Variæ causæ, cur ex quinque panibus duodecim cophini, ex septem verò septenæ sportæ remanerint.



X plurimis convivii hodierni mysteriis illud mihi diligentiori inquisitione dignius videtur, cur ex septem panibus septenæ duntaxat sportæ fragmentorum fuerint collectæ, in altero autem Convivio, quod idem Salvator multiplicatis prodigiosè panibus celebravit, ex quinque panibus duodecim super-

fuerint cophini, cum tamen in hodierno convivio tantum quatuor millia convivarum, in altero verò quinque confedissee numerentur. Quæstionem assimilem apud Divum Ambrosium lego: *Cur quinque millibus hominum plus redundat, quatuor millibus minus? quia quatuor millia ista triduo cum CHRISTO susceperunt, & ideo ampliores cælestis pabuli alimoniam receperunt.* At non satisfacit hæc mihi Ambrosiana responsio, nec enim quæro, cur plures

Sanct. Ambrosius lib. 6. in c. 9. Luca.